



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesaurus Eloqventiae Sacrae Et Profanae, Saluti &  
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

**Alberti, Alberto**

**Coloniae Agrippinae, 1669**

Julio Cardinali Romæ, Episcopo Portuensi, & Tiburtino.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)



JULIO CARDINALI  
ROMÆ,

*Episcopo Portuensi, & Ti-  
burtino.*

**Q**Uoniam *vita docentis, ut  
Orator obedienter audia-  
tur, majus habet pondus,  
quemadmodum magnus  
Augustinus est auctor, quantacun-  
que granditate dicentis, quid huic  
congruentius operi, in quo elo-  
quentiæ velifico, præstare possum,  
quàm ut cunctos divini verbi præ-  
cones, ad Tua immortalia facino-  
ra, Cardinalis Eminentissime, qui-  
bus potissimum Christianam vitam  
populos tuos vivere doces, sedulo  
contemplanda, quò illi tam saluti-  
fero, planèque necessario docu-  
mento imbuantur, officiosè invi-  
tem? Præis tu factis verba; quæ  
\* 3 loque-*

\* *Lib. 4. de doc. Christi c. 27.*



loqueris, atque ita non tam vocibus,  
quàm exemplis, quoscunque etiam  
refractarios frangis, Christoque lu-  
craris. Eloquentiæ tuæ singulare vi-  
delicet artificium est, Palatium nul-  
lum Tibi, neque Tuis, sed Princeps,  
augustumque Templum Numini  
Tybure, ære Tuo magnificè ab imis  
fundamentis conditum; nobile ea-  
dem in urbe domicilium, vel Romæ  
quoque visendum, alendis, exco-  
lendisque Clericis, virtutis nempe  
palæstra, & Seminarium, splendide  
à Te excitatum; ad Portum Julium  
hospitium publicum viatoribus, &  
peregrinis munificè à Te pariter ex-  
structum. O quàm validè peroras,  
quum consanguineis tuis ne obo-  
lum quidem largiris, memorabili  
prorsus moderationis ostento (nec  
illi largitioni inhiant, sed obluctati  
sunt, pari omnino, ne dicam, ma-  
jori temperationis prodigio) quum  
famulis tuis, aulicisque duplex ferè  
stipendium, quò nullam ex Sacer-  
dotiis pensionem ligurire queant,  
persolvis; quum redditus tuos in  
ege-



egenos tam liberaliter erogas, ut  
Pater pauperum non minus sis,  
quam prædiceris? Quid Tua ora-  
tione blandius, simulque rapidius,  
qui præter sacerdotalium precum  
ordinarium pensum, matutinam  
horam cælestibus commentationi-  
bus, totus in Deum immerfus,  
impendis? qui sacris cotidie sanctè  
operaris? qui divini amoris captus  
dulcedine, in conclave abditus, se-  
cessum ac solitudinem quæris? qui  
ita vacas Deo, ac Tibi, ut caritate  
in proximos pariter flagrans, beni-  
gnas aures adeuntibus, negotiùmq;  
non rarò importunè facessentibus  
invicta patientia præbeas, ovèsque  
Tuas bonus Pastor tam frequenter  
invisas?

Sunt equidem instrumenta per-  
suasionis Rhetoricæ vulgo decan-  
tata, argumenta, mores, atque  
affectus, quæ eò magis Orationem  
ornant, quo magis armant, ut ipso-  
met hujus Actionis emblemate ini-  
tio denuntiavi: at multò magis  
Tua vita, Tua candidissima syn-

\* 4                      ceri-



ceritas, è Tuis dictis, factisque  
pellucens, quæ alioqui nimis sæpe  
ab aula longè peregrinatur, Tua  
præclarissima gesta, ac virtutes, sum-  
ma Tui Nominis existimatio, quæ  
Urbem, & Orbem implet, quàm  
cuncta alia dicendi præsidia, ad ho-  
minum pravas voluntates expug-  
nandas, eloquentiam muniunt.  
Quid quod tam multiplici, Aposto-  
licòq; ore, de sacro suggesto tonas,  
quàm multos excursores operarios  
concionabundos in vineam Domini  
per cuncta oppida, & pagos Tuæ pa-  
storali curæ divinitus concreditos  
Tuis sumptibus indefinenter cir-  
cummittis?

Quo circa mirari non debes, Car-  
dinalis sapientissime, me, pannosum  
alioqui, ignotumque hominem,  
Tuæ splendore purpuræ minimè  
absterritum, hanc Tibi Actionem  
inscribere. Nihil enim meæ condu-  
cibilius causæ ad Apostolicum præ-  
dicandi Evangelii munus cum ani-  
marum fructu uberrimo obeun-  
dum,



dum, quod ego ista lucubratione  
maximè urgeo, potui excogitare,  
quàm exemplar Tuarum virtutum  
Concionatoribus omnibus spectan-  
dum, imitandumque proponere.  
Quod si hoc meum consilium Tibi  
adhuc inacescit, meque irreverentiæ  
nihilominùs arguis, testor ego præ-  
terea ineluctabile necessitatis telum,  
quo adactus, quum jam pridem im-  
mortali beneficio tibi essem obstri-  
ctus, hoc tenue mei non ingrati om-  
ninò erga te animi specimen extare  
volui; neque Tu jure me prohibere  
potes, quin contractum jam du-  
dum tecum debitum coner saltèm  
expungere: quanquam hinc rursus  
in aliud grave æs alienum incido,  
dum hac officii mei testificatione  
obscurum meum nomen Tuo cla-  
rissimo, atque eminentissimo tam  
luculenter irradio: cui fanè expe-  
diendo, quia impar omninò sum,  
Numen supremum obtestor, ut  
id Tibi cumulatè repræsentet, Te-  
que suo divino cultui, & Ec-  
clesiæ fulcimento, nec non  
\* 5 com-



communi omnium salutem quam diu-  
tissimè seruet incolumem.  
Mediolani MDCXXXIX. Non.  
Januarii.

Eminentiae Tuæ

Devotissimus

ALBERTUS DE ALBERTIS  
è Societate Jesu.

Can-